

Wr.  
280.

Z f  
5/55

# OBITUS

PRÆMATURUS, PIUS  
INTERIM

## JOHANNIS

M. ANDREÆ WILKII  
GYMNASII GOTHANI RECTO.  
RIS FILIOLI NATU MINIMI;

X 212 1560 Qui

Septennis, ipsis Christi Natalibus,  
Anno clō lō CXIV. manè post sextam vita  
fuit inter amplexus paternos placidè  
defunctus:

*Funebribus celebratus à fautoribus  
& amicis.*

UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHECA  
JENÆ


JENÆ  
Typis HENRICI Rauchmaiers

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE

ANNO 1615





  
D. Ambrosius Tom. III. l. de Ex-  
cessu Fratris c. i.

**P**Lurimum refert desiderare, quod habueris, & lugere, quod amiseris. Non solus dolor lacrymas habet; habet & læticia lacrymas suas. Et pietas fletum excitat, & oratio stratum rigat, & precatio, juxta propheticum dictum, lectulum lavat. Fecerunt & fletum magnum sui, cum Patriarchæ sepelirentur. Lacrymæ ergo pietatis indices, non illices sunt doloris.





*Ampliss<sup>o</sup> & literatiss<sup>o</sup> Viro*

DN. GEORGIO FER-  
BERO ILL. ET GENERO-

forum Dnn. LL. Baronum à Schönberg/ in Pe-  
nia Quæstori fidissimo, suo affini plurimum hono-  
rando, cum felicissimo novi anni  
auspicio

S. D. P.

M. ANDREAS WILKIUS GYM. GOTH.  
RECTOR.



**S**Itoto universæ vitæ curri-  
culo mihi quicquam vel mœstitudinis  
evenit vel obtigit acerbitatis: id omne  
jam fuit unico Johannis filioli, heu fi-  
lioli! Fato, tanquam collecta sarcina,  
adeo objectum, ut quantum sit, nec ani-  
mo assequi, nec cogitationibus metiri, nec lingua com-  
prehendere, nec ore eloqui unquam possim. ô incerta re-  
rum humanarum curricula! ô plena ærumnarum, & sol-  
licitudinum humana conversatio! Multa adversa puer  
tuli, plura adolescens; ea juvenis pertuli, quæ etiamnum  
res oculis ægra, molesta auribus, gravis animo recordan-  
tis est. At verò in virili isthac ætate, & *μικροπόλι* quæ susti-  
neam scholæ hujus ad tres & viginti annos Rector quor-  
sum attinet meminisse? Scholam audis? abunde est. Et tot  
annos continuo? nimium. Ecquid enim isthoc quidem,  
A 2 seculo,



seculo, scholæ, nisi laborum carcer, molestiarum conflu-  
ges, famis & inediæ templum, & tantum non emporium  
infamiæ? At risus illa at jocus sunt, & si quid mollius, si  
cum hac componas amaritudine. Annæ nondum duo-  
viginti sunt ex integro elapsi, cum una serie, & concatena-  
ta quasi periodo nostra domus est mortibus quasi viginti  
funestata, patre tuo, viro gravissimo Præfecto Salburgico  
non accensito: Suo is Fato erat octennio ante-sublatus,  
quam nexu jungeremur & vinculo affinitatis. Parentes  
præmisimus; utrumq; ego, tu matrem: sorores tres ipso  
ætatis flore & robore supra admirationem speciosas tu;  
Fratrem ego, in quo tanto major jactura, quanto minus  
erat alter. Ego filiolos, Ego filiolum: Ego: Nolo propin-  
quos ex consanguinitate reliquos subnotare. Adeo parùm  
licuit vestem lugubrem exuere, deponere vertice sindo-  
nem. Tantum non omnis dies inter luctus ivit & lacrymas!  
Multa hæc & densa & tristia vulnera, quorum cicatrices et-  
iamnum molles sunt, nec recipiunt tangentium digitos,  
nisi magno cum dolore. At qualia, ô bone! ad hoc re-  
cens? stupet animus, hæret lingua, madent oculi, silent  
Musæ, lux gravis singultibus, nox suspiriis est; allevamen-  
tum laboris, senectutis fulcrum, blanditiarum obsequium,  
pietatis officium, affabilitatis oblectamentum in hoc uno  
omne jacet. Manè surgo? filiolum desidero: Cubitum eo?  
filiolus abest: In Pallados penetrale me & Musæum abdo,  
in quo mihi subrepere, latentem invisere, pulpito accum-  
benti codices porrigere, depositos in locum disponere so-  
lebat? filiolum requiro. Tot nobiles domestici, & convi-  
ctores latus premunt, contubernium stipant, mensam am-  
biunt, commensalem ipsi cum dolore, filiolum ego cum  
desiderio præstolamur, & circumspicimus. Classes inviso,  
discipulos lustro, mores dispicio, in studia inquirō, rudes  
informo? Inter sexcentos, plures, paucioresve solum fi-  
liolum non invenio, non informo. Dignum me esse, qui  
tantam nobilium, civium, hospitem, puerorum, adole-  
scentum,



scendum, juvenum coronam quotidie oculis arbitrer, qui  
curem: Indignum verò, qui meum FLOREM inter tot  
flores corporis oculis usurpem, qui curem, quo quid tri-  
stius? quid luctuosius? Interim semper adest, semper osten-  
ditur, omnibus negotiis, & publicis se sermonibus medium  
ingerit. Affectus imaginem ejus sine intermissione repræ-  
sentat. Toto ipsum animo, ac mente complector, adspicio,  
alloquor, osculor, comprehendo, vel in ipsa quiete noctur-  
na, vel in luce clara, cum revifere quasi, ac solari dignatur  
mœrentem: *Ab mi pater! noli angere, noli affligi ob meam mor-  
tem. Frustra est; Fletibus Fata non vincuntur: scis, non redeo.  
Tuum exemplum matris, sororum, fratris periculum est. Alios  
præterit DEUS, me repetivit? Debit: Æquum fuit, quem  
præ aliis diligebat, præ aliis repeteret. Quæ Christi natalibus in  
terris seriò meditabar, in cœlis oportuit modulari. Ad quæ anni-  
tebar mortalis, immortalis perficio DEI præconia. Non amisi  
sed recepi vitam. Ad quos tantopere trepidabam, fugi bellorum  
tumultus; abjeci incumbentium, aut certè ingruentium acer-  
bitatum formidinem. Ad quæ totus adspirabam deciduus, jam  
æternum possideo perfectionem. Declinavi, à quo abhorrebam,  
pravum consortium. Cor non mutabit, quam detestabar, mali-  
tia. In tuto jam - nunc, & ab omnium malorum incursione,  
ob quæ tantopere mei causa sollicitabar, liber, medio Angelo-  
rum, & cœlituum agmine circumfusus, voce interrumpita geco:  
Sanctus, Sanctus, Sanctus DOMINUS DEUS ZEBAOH!  
Ergo, mi pater, ne dole, sed latere quod præmiseris filiolum.  
Cepisti jam ibi non esse peregrinus, ubi melior tui portio. Hæc  
me erigere consolatiuncula filiolum videtur: At non remo-  
vet; sed renovat, non intercipit; sed integrat mœrorem.  
Recurrit alloquii suavitas, verborum lenitas, morum venu-  
stas; quo frequentius quotidie, hoc altius insidet luctus,  
Et jam sibi jus mora facit, eoq; adducitur, ut turpe putet  
desinere. Bos bovem requirit, seq; non totum putat, &  
frequenti mugitu pium testatur affectum, si fortè defece-  
rit, cum quo ducere collo aratra consuevit; Ego filiolum*



non requiram, propter quem vivere delectabat, propter quem mori non pigebat? Jam mori non licet, ne matrem, sorores, fratrem relinquam; nec vivere libet, ne à tam caro avellar. Natura hoc bestiis infundit, ut catulos proprios ament, foetus suos diligant, suis visceribus innumeris armatorum cuneis obsessos tegant. Hæc commendat Leenæ catulos, & immitem feram materno affectu mollit. Hæc tigridis interpellat ferocitatem, & imminentem eam prædæ reflectit. Nam, quod D. Ambros. tradidisse memini, ubi vacuum raptæ sobolis cubile reperit, ilico vestigio raptoris insistit. At ille quamvis equo vectus fugaci; videns tamen velocitate feræ se posse præverti, nec evadendi ullum suppetere sibi posse subsidium, technam hujuscemodi fraude molitur: ubi se contiguum viderit, sphæram de vitro projicit. At illa imagine sui luditur, & sobolem putat, revocat impetum, colligere foetum desiderans. Rursus inani specie retenta, totis se ad comprehendendum equitem viribus fundit, & iracundiæ stimulo velocior fugienti imminet. Ille iterum sphærae objectu sequentem retardat, nec tamen sedulitatem matris memoriæ fraudis excludit: cassam versat imaginem, & quasi lactatura foetus residet. Sic pietatis suæ studio decepta & vindictam amittit & prolem. Pro catulis anxia mater canicula latrat: pro pullis gallinæ decertant: & Homericus ille leo, sobolem cum ducit, obviosque venatores habet, tectis ocellis cum his de illa quasi paciscitur. Hujus erga sobolem affectus feras deprehendimus, cujus hominem, & non de plebe; sed ejusmodi hominem, erga suam esse, par est, qui, quo magis suum erga aliorum filios affectum probat, hoc vehementiori erga proprios sit necesse est? Erga filios, inquam, Filii τοῖς τεύχεσι φίλτατον. Filii φῶς μητρὶ κρείσσον ἤλις. Filii sicut ab Euripide proditum apud Coel. Rhodiginū est, Parentum anima. Pro filio redimendo, ut apud Sozomenum est, mercator se suaq; omnia percussoribus offerebat:

at



at quia vincere eligendo paternus affectus, quem ex duobus imprimis vellet, non poterat, utrumq; perdebat. Nonne propter suum Fridericus Barbarossa, ille gentium terror, Venetiis pessundari sustinuit? Arsinoe, quod Justinus scribit, pro filiis se sæpe percussoribus obtulit: frequenter suo puerorum corpora amplexata protexit, vulneraque excipere, quæ liberis intendebantur voluit: Ad postremum spoliata etiam funeribus filiorum scissa veste, & crinibus sparsis in exilium abiit eo miserior, quo mori cum filiis ei non licuit. At quid istis immoror? David ille secundum DEI voluntatem Propheta, quibus ejulationibus, & lamentis degenerem requirebat? Fecerunt & fletum magnum sui, cum Patriarchæ sepelirentur. Id sancti: Quid alios, quid me hoc in luctu facere verisimile est, qui quo ab illorum sanctitate remotiores, hoc infirmiores existimus. Filium amisi, non è multis unum: sed è duobus minimum. Non quales in vulgo sexcentos videas: sed Dei, sed pietatis, parentum, honestatis, scholæ, doctrinæ amantissimum. Nihil frequentius loquebatur, audiebat lubentius nihil, quàm de Deo. Singulo mane prius - semper ad preces litandas - quam ad induendas vestes, properabat, quasi ne dextrè quidem calceari, sine numinis invocatione, posset. Hinc sponte sua, & quidem citò se ad Biblia tanto ardore expediebat, ut jurasses probe omnia puerulum intelligere, quæ tanta dexteritate & legeret, & pronunciaret cum decorò, in quæcunq; incidisset. Ea vero ingenii indole, & bonitate præditus erat, ut septennium longè excederet. Triennium nondum compleverat, & tum omnes Bibliorum figuras tam veteris quàm Novi Testamenti examussim tenebat. Nec tantum; sed explicare etiam quid quodq; in quaq; significaret, poterat. Jam historias quoq; sacras ad unam omnes meminerat. Et parùm adhuc erat: Tentabat etiam pari felicitate ex tabulis Munsteri Cosmographicis profanas, pro ut solet illud ingeniorum præcox genus esse, quo plus noverit, hoc plus novisse satagit. Sæpenumero  
ex me



ex me ea omine pol magno sciscitabatur quibus ex tempo-  
re non eram solvendis. Memoria tam prompta, ut dicta ce-  
leriter arriperet, & reddere feliciter, etiam post annum,  
post sesquiennium, quæ jam pridem elapsa putares. Καλλι-  
γραφικῶς litteras; urbes, homines, animalia solerter depin-  
gebat. ἐν προσηγορίᾳ ultra ætatem laudabili morum gratiâ,  
& suavitate non neminem sibi etiam hospites devinciebat.  
Quorsum pluribus opus? De ejusmodi ingenii dotibus quæ  
mihi non pollicebar? quæ non promittebam? quæ non  
sperabam? De suo sibi olim ejusdem ætatis filiolo magnus  
ille FREIGIVS, cujus in ἐπιλοιμίας, sive Tristium præfati-  
uncula meminit, summa pollicebatur. De meo ego mihi  
maxima. At heu pollicebar! Triste Fatum omnia antever-  
tit, pervertitq; omnia. ô dura oculorum lumina, quæ po-  
tuistis, vobis ipsis, hâc animâ, hac vitâ cariorem videre  
morientem! ô immites, & asperæ manus, quæ tam clara  
cæli quasi mei lumina clausistis! Heu tot preces, tot suspi-  
ria quâ publicè, quâ privatim singulis horis, quid verò?  
Singulis horarum momentis pro decumbente ingeminata  
fuisse frustranea, & inaudita! Ah quo discesseras ô pater  
misericordiæ, oblitus ne fueras miserationum? Excide-  
rant ne promissiones? nequibas auxiliari? Absit, ut di-  
cam, absit longiùs, ut scribam. Aderas clementissime! ex-  
periebamur quod per servos tuos ipse de te nobis intimasti:  
*miserator, & misericors DOMINUS, tardus ad iram, & mul-  
tum misericors!* Patientiam misello sufficiebas ea in ætate,  
ea in morbi & gravitate, & diuturnitate ultra hominem  
magnam: rectæ rationis, & loquelæ potentem, precatio-  
nis indefessum usque ad ultimum conservabas suspirium.  
Tandem placidissimo sopore vinculis corporeis exutâ in-  
tegellulam animulam in requiem suam transtulisti, ubi in  
æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaude-  
bit. Verum deprehendebamus D. Basilii Seleuciens. illud:  
οἰς ἀνθρώπεινον οὐδὲν πρόσσει πλεονέκτημα παρὰ τοῖς ἰδεῖν  
αἰκέραιος διαφυλάττειν δύναμις, ubi desinit humanum ibi in-  
cipit



Cipit divinum auxilium. Istud ergo arrogantis est impudentiæ, mereri solum velle quod multis etiam Sanctis negatum noveris, cum scias, quia non est personarum receptor Deus. Nam & misericors Deus, tamen si semper exaudiret omnes, non jam ex voluntate libera, sed ex quadam velut necessitate facere videretur. Deinde cum omnes rogent, si exaudiret omnes nemo ergo moreretur, ut huc D. Mediolanensis illud afferam Quid igitur, quid ago? quid fleo, quid doleo? quod invicti imperatores, magni principes, inclyti duces, quid vero? quod Christus ipse sensit, qui licet naturæ DOMINUS esset, carnis tamen, quam suscepit, legem non recusavit, ut ab eo filiolum, ut me excipem velim? Nolo: quis enim communem conditionem recuset? quis doleat sibi proprium pignus ereptum, cum ad solatium nostri filium suum unicum pro nobis DEUS pater tradiderit ad mortem? Quis exceptum se putet, esse debere à conditione moriendi, qui non sit exceptus à conditione nascendi? Nascenti mors determinata est. *Nec unquam magnis ingenijs cara in corpore mora est, Quicquid ad summum pervenit, ad exitum properat. Eripit se, aufertq; ex oculis perfecta virtus. Nec ultimum tempus expectant, quæ in primo maturuerunt,* ait Romanus Sapiens. Vitam consideramus? Ecquid est, quàm *οὐσία ἀνάε*, secundum Lyricum, umbræ somnium, aut si quid vanius? In die nox desideratur, in nocte dies quæritur: ante escam gemitus, inter cibos fletus, lacrymæ, dolores, timores, sollicitudines, nulla requies à perturbationibus, nulla à laboribus reclinatio. *In luctu nascimur, in labore vivimus, in dolore morimur,* D. Augustini querela est. Tempora dispicimus? illum fames, hunc macies, quosdam ignominia, non paucos infamia, nonnullos avaritia, multos ambitio, alios alia, omnes pericula periculorum, bellum ad latus, & tantum non ad portas iste Hannibal; aut bello pejor metus de religione sine modo controversiæ subinde novæ, subinde inauditæ pressuræ, angustia, tribulationes premunt & occupant.

B

Con-



Consortia cogitamus? pravitas pravitatum occurrit, adeo quidem ut mirum sit esse juventutem sufferendæ. Oppressa ebrietas est, surgit malitiosa licentia: otium profligatum est, petulantia succedit, libido se exerit, impietas viget, contumacia ferocit, morum feritas luxuriatur, cædes, sanguis, perjuria, adulteria, peierationes, blasphemix seculi istius exercitia sunt Furix, intemperix ubiq;. Quàm lubricum, & pronum est, etiam optimè educatum his infici, corrumpi, perdi? Beatissimi ergo, qui in DOMINO moriuntur, mortui qui sunt, qui morientur deinceps! Inter quos ô animo meo charissime Fili! non minimus es. Immaturo quidem obitu, sed his malis omnibus in æternam beatitatem decessisti. Non perdiidi usum tui, sed commutavi: ante corpore inseparabilis, nunc individuus affectu. Maeste tãto bono animule mi! quo in perpetuas æternitates frueris! hospiti propediem futuro consortium para: ne, quæso, cupientem tui diu desere, properantem expecta, festinantem adjuva, & si diutius morari tibi videbor, accerse. Possum ferre, si citò dissolvar. At quorsum hæc ad te ego, mi affinis? quia flere cum flentibus Christiani omnes jubentur; quia dividuus, & relaxatus quasi affectus citius evaporat: quia pluribus communis, & consecratus dolor levior est: quia ejusdem sanguinis participes, esse etiam luctûs debent: deniq; ut, quanti sit, ejusmodi amittere filiolum, intelligas, simul & quos habes, ita habeas, ut si habere ex FATI destinatione aliquando desinas, quod

Deus clementer averruncet, moderatius queas ferre. Interim cum omnibus longùm vale,

bene vive, rem feliciter gere, Go-

tha Calend. Januarii an-

no Christi cIo. Io.

CXV,

REVE-



Reverendo, & humaniss<sup>o</sup> Viro  
DN. M. JOHANNI  
GOETZIO PASTORI SUNT-

heimensium ad Rhönam dignissimo, suo  
amico honorando.

S. D. P.

M. ANDREAS WILKIUS GYMNASII  
GOTHANI RECTOR.



Vod à principe Tragico-

rum, Euripide, sine dubio certum est,  
fuisse ante annos bis mille, & quod ex-  
currit, scriptum; à me verò vel sexcen-  
ties & lectum, & usurpatum,

——— εἴ τι τυγχάνοι κακόν,

εἰς ὄμμαί' εὖνε φῶλος εἰς βλέψαι, γλυκὺ,

nunquam fuit nec rectius intellectum, nec consideratum  
melius; quàm hoc potissimum tempore. Postquam à Deo  
ter Opt. ter Maximo meus septennis filiulus Johannes esset  
ex mundo hoc, malorum oceano, in æternæ salutis por-  
tum delatus; ex tranquilla vitæ statione, heu! fui in pro-  
cellosissimos luctûs, & mœroris fluctûs atq; turbines con-  
jectus, adeo quidem, ut unde emergam, quanquam nihil  
relinquam intentatum, vix reperiam. Humana circum-  
spicio? magni quidem illa ad has procellas; tanti tamen  
minimè momenti sunt, quibus detur eluctari. Ecquid enim  
aliud, quàm πάντα μίτα κόνις? Divina apprehendo? cum te-  
nere me firmiter sacras tabulas puto, quibus enitar, & lit-

B 2

tus le-



tus legam; ecce manibus labuntur, ex oculis dispereunt,  
& tantum non deserunt in profundo tentationum, atq;  
dolorum constitutum. ô quàm dulce, quàm salutare hîc, mi  
Gœzi! in benivoli amici oculos intueri, præsentis allo-  
quio frui, uti consolatione magnanimi! Non desunt mihi  
hac in angustia tales & benivolentiâ præsentis, & allo-  
quiô fortes, & potentes consolatione: qualis tibi plane  
cognominis, vir πολικώλατος, ad nullum non fortunæ ictum  
paratissimus eadem mecum sæpe in sobole, inprimis ante  
biennium in natu maximo filio certissimæ ad summos in  
U. J. honores propediem futuræ virtutis FATA, tanta ani-  
mi constantia perpeffus, ut ultra virum mihi fuerit visa.  
Is cum ipsis CHRISTI JESU Natalibus meum, ah! ob-  
dormivisse filiolum, finitâ concione, intellexisset, exem-  
plo prius - non domum - quàm ad me festinabat, atque ex  
Festi Majestate ad solennitatem Annunciationis Mariæ, ve-  
ra Christianorum Hilaria, quibus filius ejus exspiraverat,  
collata, pro eloquentiâ suâ, qua in utramq; partem pluri-  
mùm valet, eâ abjectissimum erigebat consolatione ani-  
mum, quâ etiamnum menti & auribus calida talô paullô  
rectiori consisto, nec paucos ex eo tentationem ictus, & te-  
la. Sed utinam atque utinam, tua quoq; amicissime Vir!  
συμπαθεία frui præsentis præsentis possem, certum est, fidem  
plurimùm adstrueret meam, consolarionem afferret in-  
credibilem. Cum in fratris sui aut unici, ita charissimi  
excessu D. Ambrosius flere divites, collacrimari senes, ju-  
venes condolere, pauperes compati cerneret; jam, inquit,  
non potest fletus esse diurnus, qui universorum affectibus  
est consecratus. Ita quo plures de mœrore participant, hoc  
levius, non fertur, sed perfertur onus onerum gravissimum,  
& tantum non ultra vires. Impensè capiebatur ingeniosif-  
simus puerulus cum omnibus picturis, tum præcipuè cupro  
incisis, adeò, ut si aliquam esset ex sententia nactus, prius-  
non deponeret manibus, - quàm examussim discussisset. Et  
quod admiraberis κείσιν quoque instituebat de discussâ.

Haud



Haud rarò nec infelicitè, nec improbè. Quòvis, sive aureò, sive argenteò nummò religiosius adservabat, etiam viles, & rejiculas. A te donatas postponebat omnibus, & ante-paullò-quàm decumberet, quo semper essent in obtutu, parietes iisdem investiebat. Vivit inter Illustris. P. & D. nostri Clementis. alumnos hoc in cœnobio discipulus, cætera non indoctus; at scriptorio calamò, ceu radio quodam, & stylo subtilissimo, ita peritus rem quamlibet quasi exsculpere, & expingere, ut artificio, si non superet, adæquet certè industriosissimos. Hunc meus, ah! frequenter invisebat, ut non nemini; ita huic, quoties accurreret, acceptissimus, atq; ut vel pingeret aliquid se inspectante, vel testudine caneret, est enim & hujus Musices callentissimus, sollicitabat. Propriè S. Archangeli Michaëlis, qui 27. Septemb. æternùm mihi atrat<sup>9</sup>, & funest<sup>9</sup> dies! missâ scholâ, ad eundem solito more, at Fato heu! sinistro, interim nihil mali suspicans, festinat, cellulæ se ingerit lætus, & festivus, ecce illius contubernalis, quidam à me nullis non beneficiis affectus: Sed Naturâ suâ! at comprimam affectum, cum DEO, cujus

*Πάντα ὄρα - ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα δαίρει,*

justo judici ultionem commiserim, odiòne an invidia, malitia, an imprudentia dicam nescio, sinistro brachiolo arreptum misellum, & membris adhuc admodum infirmum, ut sunt eâ ætate pueri ad quemlibet ictum fragiles, vi annititur contubernio exturbare. Restiterat parum cautus puer: Institerat grandis iste nebulo. Qua vi, & luctâ sinistra scapula erat ita distorta, ut dextra multo esset depressior, ut erecto corpore & capite incedere nequiret; sed in eam totus inclinaret partem, qua vim exceperat, nec declinare in alteram ullo posset modo, quamvis decumberet, adeo quidem ut nec Medici, nec chirurgus vim mali satis intelligerent. Hinc desubito calor toto corpore æstuabat tantus, quantum etiam lectulo adstantes per aliquod interstitium deprehendebant. Hinc *παλμὸς*, sine subsultio

B 3

cordis



cordis impetuofissima: Hinc pulmonum tremor vehementissimus; sine ulla intermissione utrumq; Hinc toto corpore tabes, & macies tantum non ossa, & medullam depascens. Econtrario vis nulla etiam preciosissimorum quorumvis medicamentorum, non à parabolanis, aut circulatoribus: Sed excellentissimis, nec uno tantum: sed tribus Medicinæ consultissimis, precio non plane nullo, confectorum. Hac in ægritudine trimestre spacium, & quod excurrit, eâ patientiâ perdurabat; quæ non dico ultra hominem; sed certè ultra tam tenellæ ætatulæ infirmitudinem est, donec tandem Deus pro clementiâ suâ placidissimo sopore animulâ ejus corporeis vinculis solutam ad se in æternam reciperet beatitatem. Sic in ortu adhuc suo ad finem properat nativitas, ut D. Cyprianus: sic vita, cum luctu agitur, & cum lacrimis amittitur, ut D. Gregor: Sic tuum ante triennium mihi sæpe ingestum eventui respondit præfagium! At vitæ brevis spatium æterna memoria compensabit, ut D. Hieronym. ait. Interea quibus nos fuerimus angustiis excarnificati, quibus etiamnum opprimamur, quorsum attinet recensere? Nec possem, quamvis vellem. Tantum calamo non exararem, quantum oculorum imbribus delerem. In domestica hac calamitate, Deus bone! quàm rari boni, & verè condolentes amici! Quàm solus ego in illa solitudine! Quot lacrimularum guttas dolor mihi ex oculis expressit: tot recordationes tui animus ingessit, utinam Gœzius adesset, quàm hisce sublevarer angustiis! At quod corpore præstare negatum fuit, non est scriptione & calamo. Ergo igitur mi FRATER! Euripidæum illud sequere:

*ὕσερον μὲν ἦλθον, ἐν καίρῳ δ' ὄμωσ.*

Sic cum tuis ad Dei gloriam, Ecclesiæ ædificationem, multorum salutem rectissimè vale, & si vis, citò

subveni, Gotha Id. Januarii anno

clb. Is. CXV.

EPI-



# EPICEDIA.

**R**ilioli functi Tibi fundò è pectoris imò  
Eliciunt lacrymas, eliciuntq; elegos  
WILCKI, perdura! pensabit craftina lampas  
Laticia lacrymas, & lyricis elegos.

*M. Balthasar Gualtherus P. P. Acad.  
Jen. Pro-Rector & Fac. Ph. Decan.  
p. t. F. συμπαίχων.*

**C**orreptum morbo, gemebundo corde, JOHANNEM  
WILCKIAD Æ. aspiciunt, illacrymantq; suum.  
Cernit at extinctum postquam pater & pia mater,  
Delitium heu nostrum, clamat uterque, cadit.  
Pone modum lacrymis & metam pone dolori  
Tu cum fratre pater, cum genetrice soror.  
Incertam certo qui, commutavit Olympo  
Vitam, num vobis ille dolendus erit?

*συμπαθείας ἕνεκεν F.*

**M. Melchior Steinbruck** Gotha-  
nus, Minister Ecclesiæ patriæ ad  
D. Margaretae.

**T**emporibus lætis, Natalia quando coluntur  
CHRISTI, Tu RECTOR, fletibus ora rigas;  
Et meritò, dicis; Quis enim sibi temperet unquam  
A lachrymis, Nati funera quando videt?

Nascitur



Nascitur in terras C H R I S T U S , mihi charus in auras  
 Natus abit, primo flore puellus obit.  
 Hæcciné non doleant? Tigres his ubera diræ  
 Admôrint, quos non talia fata movent.  
 Sic sanè σοφῶν stimulant, sic insitus ardor,  
 Tu tamen hæc etiam, mente repone tua:  
 Ipse D E U S fecit nos, non nos fecimus ipsi  
 Plasmavêre D E I, meq; tuumq; manus.  
 Hæc animo reputans in eâdem forte M E L A N C H T O N  
 Inter singultus talia verba dedit:  
*En D O M I N I factura sumus, sunt pignora nostra,*  
*Ipse dedit, fecit cunctipotente manu.*  
*Ergò quid insurgis caro? cur offerre recusas,*  
*Quæ sunt ipsius, quæ D E U S ipse dedit?*  
*Mitte tuos gemitus, D E U S omni jure reposcit*  
*Propria, letitia sat mihi Nata dedit,*  
*Gaudia nunc cieat D O M I N O, summoq; Parenti,*  
*Non tibi Magne D E U S dona, negabo, tua.*  
 Hæc quoq; de Nato tibi stet sententia W I L K I,  
 Qui fecit, secum pignora chara tenet,  
 Quæq; tibi risus Proles lususq; ciebat,  
 Nunc majora ciet gaudia, crede, D E O.  
 Natalis veniet, veniet volventibus annis,  
 Quando renascetur Filius ille tuus.  
 Ibit in amplexus iterum, Matrisq; Patrisq;,  
 Obvia postremâ, basia luce feret.  
 Intereâ valeant lachrymæ, cessentq; querelæ,  
 ,, Ipse D E U S lachrymis jussit inesse modum.

*M. Paulus VVolfius Pastor*  
*Eischlebiensis ουμπαθείας'εβρα S.*

*Cum*



\*\*\*\*\*  
**C**um vigesima quinta lux Decembris  
Novo manè daret profectò magnam  
Passim letitiam in scia juvena,  
Ob donaria **7 ESULLI**, Mariæ  
Gnati virginis innuba, parentes  
Qua ponunt tacitè, pio ac recepto  
Hoc fine, ut teneris juvena ab annis  
Assuescat reverenter ore, corde,  
Atq; affectibus intimis **EUNDEM**  
Habere atq; adamare permanentis  
Datorem **PUERUM** beatitatis:  
**ILL** Aluce Decembris, ajo, **CHRISTUS**,  
Ecquo conveniente **VVILCKIANA**  
Domus munere filium **7 O ANNEM**  
Hoc anno exhilarabit? inquit: immò  
Quid nam, non mediante jam parentum  
Affectu, **IPSE** dabo pio proboq;  
**VVILCKI** filiolo? merentur eius  
Queis jam pollet ab institutione  
Parentum, pietas, & erudita  
In discendo & alacritas, piusq;

**C**

Ante



Ante annos studium, quid altioris  
Doni. Mellea sunt nihil, nihil sunt  
Dona mustea, Siculaq; canna  
Dulcedo: Preciosa vestris anno  
Hoc non sufficit: aurea libelli  
Scripti patris ab arte WOLFIIQVE,  
Sororis celeberrimi mariti,  
ANDREÆ sua dona sint alumno  
Majori. Nihil huic boni repostum est  
In terris puero amplius. Peregit  
Cursum, quem dederam, decenter istis  
Septenis, quibus ille vixit, annis.  
Nunc illum accipiam, & locabo calo  
Ut posthac ibi vivat & viternum  
Mecum, colloquio meo fruatur,  
Discat non, velut in schola parentis,  
Defectiva, sed integra atq; plena,  
Quæ nemo potuit suis per orbem  
Enodare Plato, vel & Platone  
Si quis doctior extitit magister  
Illic morte meâ, meo & cruore  
Partis perpetuum bonis fruatur.

Hæc,



Hac, hac talia sunt profectò **WILCKI**  
Qua tibi benè conjugiq; vulnus,  
Quod mors **FILIO LI** secuta eâdem  
Luce fecit in intimis medullis,  
Et curare queunt, queunt movere.  
Sin verò minus hac tibi tuaq;  
Costa sufficiunt, patrone, amice,  
Conterranee, Tu deinde, Tu me,  
Me quem quinq; subinde liberorum  
Mœrant fata, doceto pleniora.  
Sed quid? Quos Domino domũ remissos  
Certò novimus esse, perlubentes  
Linquamus, lacrymisq; fletibusq;  
(Sat datum quibus est) deinde finem  
Ponentes, **DOMINUS** dedit quod antè  
Illud abstulit **IPSE**: semper aequè,  
Seu det, seu repetat, benignus in nos  
Est, dicamus. Et hîc quiesco: namq;  
Hac novi tibi cognita esse quem tu  
Vicissim ex animo Tibi tuisq;  
Camenis benè velle nosti,

Andreas Henæus P. L. pastor  
Wangenheimensis.

C 2

TAN-



Antillo video tot funera tempore, WILKI,  
Natorum, tibi quos abstulit atra dies:  
Sindonis & toties te tristis obumbrat amictus;  
Corpus & attratis squallet in induviis.  
Ut verò è vivis mihi decessisse refertur  
JANULUS, ille tui pectoris altus amor;  
Juppiter ut stupui! ceu qui Jovis ignibus ictus  
Vivit, & est vitæ nescius ipse suæ.  
Fauceq; vox hæsit; fugit color ore calorq;,  
Protinus & stantes obriguere comæ.  
Accurro: at cuncti lacrymarum roribus irquos  
Diluviant, gemitûs exonerantq; suos.  
Ipse simul gemebunda traho suspiria questu,  
Imbre per indignas usque cadente genas.  
Utq; paro alloquio nubem removere doloris,  
Præpedit in medio verba dolore dolor.  
Ergo vel hoc quæ nunc te nomine temporis urit,  
Exige conceptam pectore mœstitiem.  
Ecquid enim patulo heu! unguis tuo in ulcere las.  
Sanguen editq; dolor usq;, animæq; adyta? (sas,  
Quid juvat in noctes Phœbi radiantis ab ortu  
Trunca super caro funere verba queri?  
JANULUS æquales reliquos, post terga relictos,  
Præveniebat uti dotibus ingenii;  
Arboris in morem teneræ, vi præcoce suetæ  
Vincere cognatas fructibus ingenitis:  
Vectus ita Angelico est super astrata arva volatu,  
Quà liquidum niveo lacte refulget iter.

Multâ



Multâ ibi luce nitens negat huc in membra reverti  
Pristina, nec superas deseruisse domos.  
Sic trutinâ ratio quæ pensat crebriter æquâ,  
In lævum creperæ lancis iere latus.  
Provida nempe Dei mens, nostræ antistita vitæ,  
Plus sapit humanis semper acuminibus.

*M. Johannes Veitzius.*

$\alpha$   
— | —  
 $\omega$

**Q** Vi specimen septennis adhuc illustre dedisti  
Indolis, absectâ spe patris, umbra jaces.  
Arte relaturus (Fati lex obstitit) ipsum,  
Non alio poteras anticipare modo.  
Incipit heic, rerum perfectio traditur illic.  
Te, verè quum sis, non tamen esse, bonum est.  
In Mundo sperata tibi diuturnior ætas  
Quod modò, quis scit, an hoc illa dedisset, habes?  
Tu plus scis hodiè, quàm nos heic novimus omnes,  
FANILLE. Preco Dei què magis esse queas?  
Ansa tui voti, fuit (autumo) funeris ansa?  
Nec minùs illa tuæ prosperitatis erat.

Matthæus Zuber P. L. Meliséus  
Fac. Gothæ 13. Jan. 1615.

I.

**A** Sperâ in humanis miscet fors omnia dextrâ  
Rebus, nec constans lætitiâ ulla diu;

C 3

Sic



Sic tibi delicias, generosæ in flore juventæ  
 In sua lucra Charon subripuit subolem:  
 Aut potius DOMINUS, dederat qui, sustulit IDEM  
 Filiolum, ad templum justitiæ & fidei.  
 En! sua cuiq; dies stat, nescit parcere Parca,  
 Omnibus obscuras injicit illa manus.  
 Infanteis, pueros, juveneisq;, virosq;, senesq;,  
 Fati mandatô, falce metit Lachesis,  
 Nec revocant gemitus, inhihet via clausa regressum  
 Illos, jam campus quod habet Elysius.  
 Fac finem lacrumis igitur, CLARISSIME WILKI,  
 Ponas singultuî, tristitiæq; modum.  
 Sat maduêre genæ nocturnis atq; diurnis  
 Lessibus heus! gnati desine flere vicem.  
 Invideas celum proli cave. Jamq; triumphâ  
 Tanta illi, & tot sint quòd superata mala.  
 In requie ille solet celebrare novemplice JOVAM  
 Plectrô, nos miseros tristia bella manent.  
 Nî meliora DEUS, quis vivere deinde voveret?  
 Quoquo oculos vertis nil nisi mœsta vides!  
 Filiolo vitâ functo gratemur. Eundem  
 Sit nobis, & mox, maxima cura sequi.  
 Pro lauru quis non optaret quæso cupressum,  
 Celestem ut citius posset adire domum.

II.

PROSOPOPOEIA GNATI

DENATI

Ad

Clarissimum & Karissimum suum  
 Dn. parentem.

*Q*uid desiderio, quid querimoniis,  
*Q*uid salsis lacrumis exanimas caput

O di-



O dilecte pater, quòd  
Me Fata abstulerint Tibi?

Incuses Superos, ô Genitor, cave,  
Sic Illis placuit, sic placeat Tibi.

Quæso desine gnatum  
Me sic conquerier tuum.

Et respira, animi collige robora;  
Non amissus ego, fideream ad domum  
Sed præmissus, & inter  
Electos populos DEUM

Collaudo fidibus per liquidum æthera, &  
Exspecto in gremio vos - ABRAHÆ - meos.

Ergò inpone querellis  
Finem. nil gemitus juvant.

Olim tempus erit, quo mihi suavia  
porgas filiolo, quò tibi dem oscula,  
Amplectarq; parentem  
Jungens basia basii!

### III.

#### TUMULUS

#### JOANNIS WILKI ELEGAN-

tissimi Ingeni Juvenis &c.

**A**MICE LECTOR; heic suum corpusculum  
Posuit JOANNES WILKIUS; animam DEO  
Commisit. Ingemisce LECTOR. Lacrumis  
Adspere bustum. inviderint quòd aspera  
Nobis, & immaturè ab orbe traxerint  
Fata Juvenem doctissimum, cultissimum.  
De quo sibi multum Camena patriæ

Pro-



Promiserat merito. jubet sed semitam hanc  
Lex ire cunctos. cogites. discas mori!

*Lugens mærens fundebat*

*In Salana Illustri 15. KL. April. 1615.*

*Christophorus Hæflichius*  
*Norimb.*

**J**Am mea cessetis quæso defflere, Parentes,  
Funera, quæ fecit Mortis avara manus.  
Mortis avara manus rapuit me, carmine cunas  
Infantis Christi psallere dum meditor.  
Hæc ego dum meditor, lumen vitale puellus  
Desero septennis. Nostra ita vita fugit!  
Verùm vos tristes lacrimas cessate Parentes  
Fundere, & ex animis pellite mœstitiam.  
Angelico numero vestrum me credite Natum  
Nunc junctum summâ prosperitate frui.  
Nunc ego cum sanctis Geniis coadimpleo cælum  
Plausibus, æternum concebroq; Deum.  
Nunc sono jucundis modulatos vocibus hymnos,  
Gloriam in excelsis doq;, canoq; Deo.

*Petrus Fuldnerus collega*  
*Scholæ Gothanæ.*

**S**iccine Wilkiadum de germine surcule claro,  
JANILE morte cadis viridi sublatu in ævo?  
Siccine spes, de te quæ fulsit, dempta repentè  
Omnia funesto consumit gaudia casu?  
Nec tibi virtutis, pietatis & indolis ardor;  
Eum nec purpurea lactens ætate venustas

*Cum*



Cum morum probitate necem protollere possunt?  
 ô dolor! ô fati rabies! ô tessera fallax!  
 Quam nihil in terris constans, quam lubrica cuncta!  
 Scilicet hospitium terra est, nec mansio perpes:  
 Nec data mancipio sed in usum vita; recedit  
 A quovis, si fata jubent, sed fata potentis  
 Sunt decreta Dei. Non nostrum querere causas,  
 Cur citius vel serius. Est sua namq; dierum,  
 Quam non transiliet, cuivis meta locata.  
 Inde mori nemo non illo tempore, nemo  
 Non illâ terrâ, non illo deniq; letho,  
 Cogitur, occulti quo mandat sanctio fati.  
 Hanc quoq; JANE tibi statuit divina voluntas  
 Metam. Cur citius? placitis subscribe JEHOVÆ.  
 Hic, quoscunq; sibi charos habet, ocyus ad se  
 Avocat in superum plagas è turbine mundi,  
 Ne mala quæ modò sunt, venturaq; proferet ætas,  
 Sensibus usurpent, fiant aut præda Draconis.  
 Ergo tu Genitor, luctus, Genitrixq; caveto  
 Excessisse modum quod rapta est blandula proles.  
 Abrepta est fateor, proles perchara, sed à quo?  
 Nempe Deo. Si rapta Deo, cur frena dolori  
 Laxatis? Nam quicquid agit Deus, id bene factum est.  
 Adde quod ambrosiæ succis & nectaris haustu  
 Pascitur æthereos inter manesq; beatos;  
 Quæq; nefas oculis, nec fas est auribus ullis  
 Percipere, in tuta cæli regione recepta  
 Mente videt venerans simul exorabile Numen.  
 Ergo JANE novi donatus munere regni,  
 Salve, delictum matris, pietatis imago;  
 Æternum dico salve tibi JANE valeq;.

intimæ condolentiæ ergo

F. ad finis

Martinus Schachtnerus

Chambo - Palatinus.

D

EPI-



**T**Antane, proh! tanta est duræ inclementia mortis,  
Ut, Jova in terris quod ferit, omne metat?  
Scilicet est! sed tanta Dei clementia contra est,  
Horrea ut in cæli quod metit, ipse gerat.  
Blande puer, spes Wilckiadam, pars magna paterni  
JANULE, qui quondam pectoris heu! fueras.  
Utrumq; expertus nunc es! Te mortis amaror  
Messuit, at superum ad gaudia JOVA tulit.  
Ah dolor, ô lacrymæ! sed quid? Clementia Jovæ  
Hic tanta est. Ergò jam dolor omnis abi!  
O felix, quem sic metit inclementia Parcæ  
Horreo ut in cœli gaudia grataferat!

*Lugendo deproperabat*

*Salomon Glassius Sonders-  
businus.*

**N**on rarò trabibus frequens in audit  
Ramorum arbuteâ nemus sub umbrâ  
Sudi tibiolam poli soliq;  
Currucam insidiis suum cuculli  
Raptum flere dolente gutturillo  
Pullum. quin tener ingemit palumbes  
Exstinctâ sobole, acriusculisq;  
Indulget lacrumis; & involucris  
Turtur turture se vovet querellæ  
Funestæ viduatus; immò truncus  
Thermodontiacâ cedens bipenni  
Ilicis, cuneis fociq; fissus  
Ad usus, nimium doloris ictum  
Suo significat palam fragore.  
*Quis WILCI Gothici smaragde cæli!*

*Quam-*



Quamvis Caucasiæq; Caspiæq;  
 Tigris uberibus satusq; & altus  
 Cautè sub Rhodopeiâ, vetabit  
 Promissi abdere Syndonis lugubri  
 Caput syrmate, teq; luētuosum  
 Ultroq; ejacularier madenteis  
 Aquas lumine, dum vides resecti  
 Clotbus forcipe filii nigrantes  
 Rapi in Sandapilas cadaver? Eheu  
 In tumbâ Herculei tui est laboris  
 Nepenthes! tumultata matris una  
 Pharus! gaudia fratris, & sororum  
 Melligo tenebris subacta! Quia jam  
 Mater cum patre, cum sororibusq;  
 Frater, sis quod es, atq; Homuncioni  
 Innato lacrymare more, sed ceu  
 Æquum postulati aureum: Cerebri  
 Vim lessu sine pertinaciore  
 Enervare, oculosq; cordis imbre  
 Emulgere perenniore. Prolis  
 Quamvis funus humi tegatur urnâ  
 Non potest animæ perire gemmâ.  
 Quin nunquam cinefacta, sed corollæ  
 Immarcessibilis nitore maeta  
 Inter sidereos canit quirites  
 Inter angelicas canit phalanges  
 Mellillum tenerâ Choreuma voce.  
 Ignes interea doloris IGNIS  
 Sacer dulcificet, dolente nostra  
 Cupiscit lyra murmure & petiscit.  
 Exoptat simul ossibus quietem  
 Humati; aſt animæ beatitatis  
 Gratatur meritæ serenitatem.

Melchior Steinbruck Gothâ-  
 Thuring.

D 2 MOESTIS-



MOESTISSIMUS PATER ÆTER-  
NÙM DESIDERATISSIMO FILIOLO.

I.

Siccinè mi FILI, FILI! mea vita, meum cor,  
Atq; senectutis portus, & aura meæ,  
JANULE, te nostris oculis, te amplexibus imis  
Præpropero FATO mors truculenta rapit?  
Heu spes fallaces! heu nostram somnia vitam!  
Ecquid ibi constans, sic ubi cuncta fluunt?  
Quid mihi non magni de te, FILI! intimat olim,  
Entheus ingenii, candidulusq; vigor?  
Ah quoties memini votis puerilibus actum  
Talia te matri fundere verba tuæ:  
Præco DEI quondam verbi, si vixero, fiam,  
Nec quisquam fuerit qui vetuisse queat.  
DI faveant cœptis! fili, dulcissimè fili!  
Fausstiter eveniant omnia, mater ait.  
Interea totò nisu, & conamine totò  
Sacris principiis incubuisse juvat.  
Nec frustra: Pueri jam cedunt omnia dextrè:  
Dantq; Catechesi victa elementa manus.  
Jamq; mele V A T I S Psaltæ, jam carmina cedunt:  
Jamq; novi pacti dicta trecenta tenet.  
Jamq; preces certis, jam cantica personat horis  
Jam sua devotè cætera sacra facit.  
Jam; sapit ultra annos, jamq; admirante magistro,  
Nil non assequitur nobilis ingeniò.  
Jamq; brevi spacio, perfectus, plura complet  
Secula, præ nobis jam placet ille DEO.  
Ergò à Cœlicolis ad Olympica templa vocatus  
Grata DEO æternùm carmina PRÆCO canit.

Salve



Salve ingens cœli decus ô! præco inclyte salve!  
Vivis ab æternæ munere Mnemosynes.

II.

**T**OtIVs Vt nostrI generIs quo ChrIste reDeMptor  
Virgine de purâ nasceris, alme, die!  
JANULE sic isto, FILI! denasceris orbi,  
Cum CHRISTO æternâ ut luce receptus agas.

III.

**O**FILI! ô nostræ spes, & tutela senectæ!  
O animâ, ô oculis dulcior hisce meis!  
Qui mihi consueras tristes lenire dolores,  
Quos SCHOLA, ceu plenô gurgite rivus aquas,  
Funditat: & poteras vario griphôq;, jocoq;  
Festivus sacram sistere canitiem.  
Delitiæ tecum, tecum omnia gaudia, tecum  
Pierides nostræ, spesq; salusq; jacent.  
Nec, quodcunq; juvat, juvat: heu placida omnia sordent,  
Nec mihi lux isthæc, nec mihi grata dies:  
His tantum insuesco per inania questibus: eheu  
FILI, mi FILI! plura premunt lacrymæ.

IV.

**S**Um fessus lacrimis, lacrimis at gaudeo: prolis  
Usq; adeò PATRI est ingeneratus amor.  
Duco diem fletu, noctemq; fatigo querelis;  
At fletum averfor nocte, dieq; meum.  
Sic prolis patri est amor indelebilis, & sic  
Difficile est luctus ponere posse modum!

V.

**N**Ox erat, & solidô splendebat purius æther,  
Poliq; cives lætius  
Orbi indulgebant vultus, natalia CHRISTO  
Congratulantes obvii:

D 3

Cœli-



Cœli-consultus cùm, quâ regione, ferantur,  
Observat augur lumina:  
En cum Lucifero nova surgit sidere stella!  
Miratur augur fulgidam.  
Desine mirari florentis sideris ortum,  
Sic Phœbus inquit auguri;  
WILKI ADES mane hoc patrio donatus olympto est:  
Sic integellulus micat!

VI.

**O**Mnia cum repeto, cumq; omnia pectore verso,  
Dictaq; percurro, factaq; volvo tua:  
Ut praeunte sorore pias resonare soleres  
Odas: & precibus sollicitare DEUM.  
Ut tibi mane nihil, nil vespere suavius esset,  
Codice quam sacrô res legere, atq; typos.  
Ut mihi sollicito de te solatia ferres:  
Ah PATER, Ah! de me ne crucieris, ais:  
Cras ubi sol thalamô Tethyos surrexerit, ecce,  
Chare pater! salvus, quod benè vertat, ero.  
Talia, mi FILI, mihi cum monumenta recurrunt,  
Tum quoq; sanguinea è pectore stilla cadit.

VII.

**S**Eptima maturis exacta est messibus æstas,  
Septima jam tristi frigore sævit hyems:  
Ignea cum tabes puerum te floscule! adurit  
Atq; medullam exest ossibus ima tuis.  
Sole sub Eoô sic vernat primula veris,  
Sub medio languet, vespere tota jacet.  
Esto. Sic fuit in FATIS. Quis FATA domabit?  
Qui dederat Gnatum, sustulit ille meum.  
Sancte JEHOVA, tuas in laudes ora resolvo,  
Et tua perpetuò facta stupenda cano.  
Ad me non revocabis iter: te subsequar olim,  
FILI, si quando me mea Fata vocant.

Interea



Interea lacrymis, FILI! dulcissime FILI!  
Non intermissis busta sacrabo tua. (nis :  
Hoc satis est: CUNCTIS PLACUISTI! haud vivitur an-  
Ille diu vixit, qui REPETENDUS obit.

**E**Rgo Frater abis à nobis? optime FRATER!  
Discedisq; oculis carior hisce meis?  
Sed nec abis, nec discedis: Sed JANULE cedis  
A nobis modicò tempore nosq; præis.  
Nempeloco Cœlum quò nos jungat eodem:  
Nec tamen affectus separat ulla dies:  
Non etenim revocabis iter; Veniam sed ego ad te,  
Una ut perpetuò permaneamus ibi.  
Interea Cœli ambrosium cape lætus honorem;  
In tumuloq; cubent suaviter ossa tua.  
Fraternis tua sed lachrimis busta usq; rigabo,  
Donec eas nostro tergat ab ore Deus.

*Fratri ut unico, ita desideratissimo F.*

*Andreas Wilkius.*

**I**N quo, chare SO CER? fuerat spes cuncta reposta,  
Hic se conspectu surripit, ecce! tuo.  
In quo deprensus est genium Matrisq; Patrisq;  
Hic SEPTENNIS ait: Tu vale uterq; Parens!  
Ne dolor immensus, quo non immensior alter,  
Ne WILKUM lacrymæ nocte dieq; manent.  
Sed compone tuam, Vir Præstantissime! mentem,  
quosq; fero numeros firmiter usq; tene!  
,, Quem largitus erat superûmpater atq; hominum Rex,  
,, Olim evasisset maximus ingenio;

*Nove-*



,, Noverat aſt quoniam magis hunc coeleſtibus aptum

,, Adfore: mature juffit adire polum.

Invidasne, focer? ſedem hanc; grateris an illam

*FILIOLO?* Lacrymas tergito quaſo ſat eſt.

Socero ſuo plurimum honorando

debitæ *συμπαιδείας χάριν* fund.

M. Michaël Wolfius, Phyſices

in Acad. Jen. Prof. publ.

## T U M U L U S.

**V**ix ſeptem *WILKI JOHANNULUS* egerat annos,  
quando petebat ovans ſpiritus aſtra poli.

Moribus hic vixit nulli genioq; ſecundus:

Mens ſtudioſa *DEI*, mens ſtudioſa *PATRIS*.

Siſte Viator! erit, roget qui pectore totus,

*Commendes JOVÆ WILKIADES* precibus.


## F I N I S.





WR.  
280.

OB  
 PRÆMA  
 I  
 JOH  
 M. AND  
 GYMNASII  
 RIS FILIO  
 X 212 156  
 Septennis, ip  
 Anno clō lo C  
 fuit inter am  
 Funebribus c  
 BIBLIOTHECA  
 PONTANIANA Typis He  
 A



Centimetres  
**TIFFEN** Color Control Patches  
 © The Tiffen Company, 2007

